



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De voto Castitatis, cap. 39.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE VOTO CASTITATIS.

Christianismo, quæ neque in Iudaismo, neque in gentilitate vsquam vel permissa, vel facta leguntur. Nam si verba eius rectè expendas, nõ solum laicis, sed etiam Episcopis, duas, tres, aut plures vxores simul habere permittit. Negat enim Digamiam Episcopo prohiberi: Digamum autem dicit eum qui plures vxores, non successiuè, sed simul habet. Et Mosaica iura de vxorum pluralitate vult nobis esse libera, nec prohibita, nec præcepta. Vbi audisti, obsecro, aut legisti vnquam similia? quæ gens vnquam aut vsquam Episcopos habuit sic digamos? Certè nec Laici gentiles Romanorum sic digami erant, & Iudæorum summa sacerdoti non nisi vna erat vxor, quam virginem accipere debuit ex lege, Leuitici vigesimoprimo. Proh spurcissimum ac libidinosissimum cucullum.

De voto Castitatis.

CAP. XXXIX.

*In lib. de
vita coniugali,*

Votum castitatis infectatus est iam multis annis, multisque libris, bestialissimè docens in Priapeio suo, ex hoc verbo Dei: Crescite & multiplicamini: nos certos esse, quòd vir & mulier debent & coguntur coniungi, vt multiplicentur. Quapropter, sicut in potestate mea non est (inquit) quo minus sim mas, ita minimè situm est in me, vt sine muliere sim.

Quia non est res liberi arbitrij vel consilij, sed res necessaria & naturalis, vt omne, quod mas est, habeat mulierem, & omne quod mulier est, marem habere oporteat: Quia verbum istud, vbi Deus ait, Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plusquam præceptum, nempe opus quoddam diuinum, quod nos non possumus vel impedire vel prætermittere, sed perinde necessarium est, ac quòd ego sum mas, & magis necessariù quàm edere, bibere, purgari, expuere, dormire, ac vigilare. Est implantata natura, haud secus atque membra ad eam rem pertinentia. Idcirco, sicut nemini præcipit Deus, vt sit mas aut fœmina, sed creat vt ita esse oporteat: ita nec præcipit, Crescere & multiplicari, sed creat, vt necesse sit, eos multiplicari. Et si quando volumus prohibere, ipsum prohiberi non vult, & transit nihilominus viam suam per fornicationem, adulterium & sodomiam quia natura est ibi, non liberù arbitrium. Hæc ibi. Et his haud dissimilia obscœnissimè scripsit in plerisque libris, in iudicio de votis Monasticis, in libro contra statù Ecclesiasticù, in Epithalamio suo, & in (nescio quot) aliis libris & sermonibus. Vt mihi maximè mirum videatur, nondum esse in Germania institutas à Lutheranis cōmunes p̄miscuæ Veneris Cryptas & speluncas, quales in Bohemia ferunt aliquot aut esse, aut fuisse. Si enim vera essent, quæ cucullatù hoc Veneris portentù & hîc &

DE VOTO CASTITATIS.

alibi scripsit, nihil profectò videretur magis necessarium, pro conseruanda honestate publica, quàm tales constituere Cryptas, pro occultandis & à publico hominum conspectu auertendis tam ferinis & caninis commixtionibus, quas magis necessarias esse affirmat, quàm sunt edere, bibere, egerere, dormire &c. O graue dedecus & periculum tuum (Illustrissime Princeps) sub cuius vmbra & protectione monstrum hoc talia in orbem euulgat. Audiui equidem ante triennium, aliquot homines apud Heluetios, in territorio (si me fama non fefellit) Apocellensi, secundum dogma istud, nouum insanix morem instituisse, ac in more canum publicè in viis & plateis, cõtra omnem pudorem, fœminas, & adultas virgines, obuiantibus sibi casu viris & iuuenibus dixisse, veni, tauriza me, hoc est, fac mihi quod vacca solet taurus. Quæ obsecro natio, quantumlibet fera & barbara, vsque adeo fuit ab omni pudore aliena, vt talia permisisse legatur? At dicet, Deum non mētiri posse, qui dixit: Crescite & multiplicamini. Quid tum? nõne dixit hoc idem bestiis quoque & animantibus cunctis terræ & maris? dixit vtique: Non tamen oportet, vt huic rei necessariò seruiant & intendāt semper, & eo actu carere nõ possint. Vim quidem generandi eo verbo naturis rerum indidit Deus, qua generare queant, sed ad actum generandi nõ cogit. Videmus sanè, quàm multi sunt equi, fortes & generosi, in stabulis Re-

gum & Principum, qui vtique generare possunt, non tamen generant necessariò, sed plerunque abstinent perpetuò à coitu. Sic abstinent & asini, & canes & hirci, & pleraque alia bruta animalia, in venerem alioqui maximè prona, procliuia & impetuosa, quibus nec ratio, nec intellectus est, vt homini, sed suo feruntur impetu naturæ. Et tamen sine coitu viuunt, ac quâlibet longo tempore perdurant. Quid igitur dicem? incesto ac sacrilego huic monacho, qui homines ratione & intellectu præditos, gratiâque Dei adiutos & munitos, sic mancipat Veneri, vt sine coitu minus esse possint, quàm sine cibo, potu, egestione & somno? Quid lasciuus hircis, quid ardentius equis, quid libidinosis canibus & simiis? Et bruta ista à Venere abstinent longo aut omni tempore quo viuunt. At porcus iste Saxonicus ait impossibile esse, vt sacerdotes, Monachi, & Moniales, sine coitu viuant. Et apud Gentiles (qui sine gratia Dei, & sine Christo *Eph. 2.* erant in mundo) erat perpetua castitas vestibibus obseruanda. Emissarius autem iste Monialium compressor, sacras virgines, quæ pio voto multisque præcibus, lachrymis, vigiliis & ieiuniis, Christo sponso suo castitatē suam commendant, ac deuouent, negat castas permanere posse. Quæ, rogo, grauior possit in genus humanum iniuria, in Christianos contumelia, in Christum blasphemia excogitari, quàm sic substernere ac mancipare libidini & viros

DE VOTO CASTITATIS.

*Virgil. li. 3.
Georgico.*

*De decem
præceptis.
cap. 6.*

& mulieres, Deo publicè votis & orationibus sanctificatos, vt in monasteriis locisque religiosis à coitu abstinere nō possint, à quo abstinent plerique gentiles & animalia bruta, quæ maximo alioqui ardore & impetu in furias (vt ait Poëta) ignemque ruunt. Audi saltem (Illustrissime Princeps) quid ipse olim hac de re senserit. Virginitas (inquit in decem præceptis) in lege olim summum erat opprobrium, nunc autem summa gloria. Tunc damnabile dedecus, nunc incomparabile decus, iis saltem quæ non proposuerunt nubere. De qua multi multa & magnifica scripserūt, quia verè nulli virgini potest fieri restitutio. Et paulò post. Sacrilegium est (inquit) vbi iam non tantum castitas polluitur, sed etiam quæ Deo soli sint oblata, tollitur, & sanctum prophanatur. Verum hoc ex institutione Ecclesiæ magis quam ex Deo est in sacerdotibus. Sed in religiosis grauissimum est, quia spontè sese consecrauerunt Domino, & sese subtrahunt rursus. Et in Resolutionibus suis. Religiosi (inquit) debent suam obedientiam seruare, etiam si possent alibi martyrio coronari.

De libero Arbitrio.

C A P. XL.

DE libero hominis arbitrio haud vna est huius Prophetæ Saxonici sententia. Pri.